




PALAESTRA LATINA



SUMMARIUM

- ALTERUS NON ALTÉRIUS (Emmanuel Jové).
INTER SCHOLARES.
JESUS CUR PLORET IN PRAESEPE (Josephus Llobera).
DE HENDIADI. (L. Fanlo.)
COMMERCİUM EPISTULARE.
DISCOBOLUS MYRONIS. (Phidiacus.)
RADIOPHONUM. (I. González.)
ADOLFUS GANDIGLIUS. (M. López).
PER ORBEM.
PALAESTRICUS EPHEBIS SUIS.
EXERCITATIONES SCHOLARES.
BIBLIOGRAPHIA. (Th. M. Planas).

Ordinarii atque Superiorum permisso

Libri in Actuaria accepti

- Malcovati, E.** «*Affetti e sentimenti nella poesia di Virgilio*» (estratto dall'Annuario del R. Liceo-Gimnasio di Pavia) 1931. p. 22.
- Beltrami, A.** «*Virgilio*» (Conferenza tenuta in Brescia per incarico della Reale Accademia d'Italia il 10 maggio 1930) VIII. 21. Pavia. Tip. Successore Fratelli Fusi, via L. Spallanzani, 11.
- Capellanus, G.** «*Sprechen Sie Lateinisch?*» Moderne Konversation in Lateinischer Sprache. (F. Dümmlers Verlag) Berlin, 1929, p. 131, 10 aufl. M. 3.
- Thiemè, K.** «*Scribisne litterulas Latinas?*» Kleine moderne Korrespondenz in lateinischer Sprache (F. Dümmlers Verlag). Berlin, 1928, p. 159. M. 2·50.
- Grandgent, H.** «*Introducción al Latín vulgar*». Trad. del inglés, adicionada por el autor, corregida y aumentada con notas, prólogos y una antología por F. de B. Moll, Madrid, 1928, p. 384.
- Curcio, G.** «*Le liriche di Q. Orazio Flacco*». Studio critico. Catania (Lib. Tirelli di F. Guaitolini) 1930. XII, 176.
- Thierry, R. H.** «*Método de Francés*», Libro primero, p. 287; libro segundo, p. 229.—«*Clave de ejercicios*» (Libro del Maestro) p. 39.—«*Clave de ejercicios y de conversaciones del libro segundo del método de francés*», p. 44. 1950. Colección Magister, Barcelona, Pueria del Angel, 23, 2º.
- Fornari, J.** «*Communia vitae.*» (Phrases et formulae ad latina colloquia insituita), Edit, altera. Typis poliglotis Vaticanis, 1931, p. 86.
- Blone Cesare.** «*Letteratura greca*». (La nuova Italia, editrice,—Firenze, via Piesolana, 38), p. 236, L. 9.
- Alma Frey.** Aus dem Nachleben antiker Göttergestalten, 184 p., mit 12 Bildtafeln. Dieterich'sche Verlagsbuchhandlung. Leipzig.
- Eugenio della Valle.** «*Il Dono di Prometeo*». Bari (Italia). Gius. Laterza et Figli, 1931, pag. 48.
- Falder, P.** «*Repertoire des éditions de scolies et commentaires d'auteurs latins*». (Coll. d'Etudes latines, serie scientifique VIII). Les Belles Lettres, 95, Boulevard Raspail, Paris, VI, 1931, pag. 48; 10 frs.
- Rebelo Gonçalves, F.** «*Os elementos gregos do vocabulário português*». (Elementos de formação popular), pag. 33. Lisboa, Imprenta Nacional, 1930.
- «*Aportamentos para o estudo da numeração indeterminada em latim*», p. 22, 1930.
- «*Dois conceitos de Horácio na poesia portuguesa do século XVIII*» pag. 32, 1930.
- «*Da influência lexical do grego no latim literário*», pag. 35; 1930.
- Guillermin, A.** «*Le Thème Latin à la Licence ès-lettres*», (Liber, Hatier, Paris) p. 285. 1931.
- Berthaut, H.** «*Versions Latines*». (Liber. A. Hatier, 8 r. d'Assas, Paris VI) p. 80
- Reale Accademia Virgiliana di Mantova.** «*Studi Virgiliani*», p. 267 in 4.º maj. 1930.
- Mélanges Paul Thomas.** (Recueil de memories concernant la philologie Classique). Bruges, Impr. Sainte Catherine. 35 r, du Tram. p. 757.



MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

ALTERIUS NON ALTÉRIUS

Temporum decursu ea quae ex consuetudine inveterata censabantur legitima atque docebantur, manifeste falsa nonnunquam adparent. Ut tamen longa per saecula, etiam apud doctos homines, invlauerit error, speciem quandam extitisse necesse est veritatis, qua res involuta remaneret neque ex tenebris exereretur, donec aliquis eorum investigator, qui rerum causas in omnibus expostulant, mentis acumen in eam infixerit.

Id revera contigit philologis recentibus qui ad trutinam quasi revocarunt omnia quae in lingua Latina videbantur mira atque ab regulis communibus discrepantia. Quorum in numero erat vox *alterius*, de cuius accentu brevi in paenultima syllaba in soluta oratione nullibi constabat ratio.

Cur — inquit philologus — omnia pronomina nisi in carmine, ubi viget necessitas, genitivum habent in *īus* longum, uno tantum excepto genitivo *alterius* quem semper et ubique corripere jubemur?

Fortassis non deerit qui satis in grammaticis veteribus eruditus in medium producat Prisciani auctoritatem⁽¹⁾ qui non semel, sed bis terque, rem illam expressis verbis doceat: «*Ille, illius, illi;* et producitur paenultima *i* genitivi, quam tamen poëtae etiam corripiunt, absque uno *alterius*, quod, quia solum duabus vincit syllabis proprium nominativum, corripit semper paenultimam», cum «*alterius* contra, quia duabus vincit syllabis nominativum suum semper corri-

(1) Kell III. p. 6.

pit paenultimam, *alter*, *alterius*, *alteri.*»⁽¹⁾ Et iterum alio loco: «scendum quod in *ius* terminatus genitivus producit paenultimam, nisi poëtica auctoritas eam corripiat, excepto *alter*, *alterius* quod ideo magis correptam habuit paenultimam, quod duabus syllabis vincit genitivus; quod igitur crevit syllabis hoc minuit tempore.»⁽²⁾

Perpendat ipse lector quibus Priscianus adserat rationibus *alius* esse semper producendum, *alterius* contra semper corripiendum. O rationes leves atque pueriles! Prius producendum quia par est syllabis cum nominativo, posterius corripiendum quia duabus superat syllabis nominativum. Optime de his grammaticis Sommer⁽³⁾ philologus nostrae tempestatis qui methodos et theorias Romanorum grammaticorum formis Graecanicis essentialiter subfultas nullum, ait, pretium habere apud hodie nos sapientes.

Praeterea si Priscianum excipias nullus apud veteres grammaticos de *alterius* correptione mentionem ullam facit, immo vero ita reliqui loquuntur ut si eodem modo declinaretur ac cetera ejusmodi pronomina. In commentario Einssiedlensi, quod est de Grammatica, hoc legimus: «*alter*, *alterius* facit genitivum sicut *ille*, *illius*.»⁽⁴⁾

Parum autem est veteres id expresse non adfirmare nisi ex alia parte recentes omnes cuiusdam pretii grammatici idem communiter nontestarentur. Hoc autem culibet integrum est cognoscere qui mediocriter in hodie nos grammaticis, exteris potissimum, est versatus. Sit in primis noster Emmanuel Alvarus: «Genitivus in *ius* habet i longum in soluta oratione: in carmine tum breve tum longum. Alter corripit apud poëtas heroicis, ne brevis inter duas longas claudatur *alterius*; oratores nunc fere producunt ut *neutrīus* et alia».⁽⁵⁾ Hic autem adparet quaedam dubitatio in sententia, quia eo tempore auctores, nulla facta de re peculiari investigatione, in contrariam partem vergebant. Sed pedetentim haec opinio relicta est ita ut nostris diebus nullus omnino grammaticus tanto nomine dignus rem dubiam habeat. Corradinius, qui postremam Forcellinii editionem Lexici totius Latinitatis mirifice recognovit, auctorem corrigens scripsit: «Genitivus *alterius* ex analogia cum *alius*, *illius* et similibus paenultimam habet longam.»⁽⁶⁾ Neque obscure loquitur clarissimus Freund: «quantitas genitivi singularis *alterius* ut paeon primus bona Latinitate non nititur sed exemplis tantum rythmorum dactylicorum in quibus ipsius, *illius*, *istius*, *unius*, cet. sunt etiam adhibita ut dactyli; at contra quantitas regularis *alterius* ditrochaica satis superque probatur versibus insequentibus Ennii, Terentii, Terentiani Mauri, etc.»⁽⁷⁾ Subinde versus praebet quos etiam nos in eorum operibus consulimus. Priscianus ipse qui brevitatem syllabae defendebat, Terentianum contra se auctorem habere sensit: «Terentianus tamen, inquit, invenitur hujus etiam paenultimam produxisse in trochaico metro quod est ex septem pedibus et syllaba:

«Sescuplo vel una viricit alterius singulum;
sexus pes vult a longa incipere in trochaico metro».⁽⁸⁾ At non solum

(1) Kell III, p. 20. —(2) Kell II, p. 228. —(3) *Handbuch der Latein Laut u. Formenlehre, Einleitung*, pag. 8, 2. —(4) Kell-Hagen, Suppl. Grämm. Lat. VIII, p. 250 —(5) *De Inst. Grämm. I. III ed. sept.* —(6) —(7) Vide Alter. —(8) Kell VI, v. 1352.

hoc loco Terentiano *i* longum esse in alterius innotescit, sed habet quoque in metro jambico alium non minus perspicuum:

«*Sub alterius consonat vocabulo*»:

et in alio loco:

nec alterius indigens opis veni.⁽¹⁾

Si quis autem Terentiano grammatico vim probandi neget quod saeculo IV post Chr. fuerit, accipiat Terentii auctoritatem nesesse est qui tertio ante Chr. saeculo comoedias suas composuit in cuius trochaicis est etiam ille:

Alterius sua ut comparent commoda, ah.⁽²⁾

Quibus testimoniis addere quoque possumus illud Ennii in fragmentis quae de eo exstant:

Qui mox dum alterius obligurias bona...⁽³⁾

Ex clausulis insuper Ciceronianis, Niedermann⁽⁴⁾ auctore, deducitur horum omnium genitivorum in genitivo longa positio.

Non igitur mirum si, non obstante tradita a longis annis consuetudine, et regulis grammaticorum, recentes grammatici in alia omnia abeant atque in ipsis liturgicis libris ubi accentu graphicō sollet adnotari accentus prosodicus, hoc vocabulum saepe sine accentu veniat⁽⁵⁾ atque nonnunquam addito accentu orthographicō in *i* ut pronuntiando acuetur.⁽⁶⁾ Speramus in posterioribus editionibus tam late processuram hujus longi accentus in voce *alterius* persuassionem ut numquam jam in prosa oratione positio brevis illius vocabuli audiatur.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

Inter Scholares

— *Qua ratione tam facile vertis, amice, Latinum in vernaculam.*

— *Simpliciter omnino.*

— *Utinam sciam tandem quod nunquam didici. Narrá mihi, obsecro.*

— *Primum omnium sententiam lego simplicem vel compositam.*

— *Hoc etiam ipse facio, quid inde?*

— *In lectione jam verbum primartum quod semper est in indicativo (aut imperativo) unice detegere curo.*

— *Bene est: hoc ipse parum curabam. Sequere porro.*

— *Verbi illius subjectum facile deduco sive singulare sive plurale vel primae vel secundae vel tertiae personae.*

— *Pulcherrime! O quantum sapis!*

— *Postea quaero complementum primo directum, quod est in acusativo, et postea indirectum, quod est in dativo aut acusativo cum praepositione.*

— *Praeter verbum, subjectum, comple-*

mentum directum et indirectum sunt saepe plura alia vocabula.

— *Quidem, sunt complementa circumsstantialia loci, temporis, modi, cet., quae solent esse in ablativo.*

— *Quo modo ordinanda sunt istiusmodi complementa?*

— *Post complementum indirectum.*

— *Nihil amplius?*

— *Cum verbo ponitur adverbium; cum substantivo sive subiecto sive complemento ponitur adjективum vel genitivus quae ea forsitan adficiant.*

— *Bene; sed haec tantum de sententiis simplicibus: quid de compositis?*

— *In sententiis compositis praeter orationem primariam quae in se habet sensum perfectum, invenitur, communiter in subjunctivo, oratio secundaria, quae secundo loco ordinatur sed eodem ferme modo ac primaria.*

— *Est tibi gratia, amice. Videbo si deinceps tuis consiliis maiores proventus faciam.*

(1) Keil VI, v. 2185 — (2) Terent Andr: 4, 1, 4. — (3) Emma, *Fragmenta apud Hess.* p. 189. — (4) Fon Hist. p. 27. — (5) *Breviarium Romanum in Ord. ad Sext. Cap.* - Die 9 Febr. in lect. IV Sti. Cyrilli - Die 17 Sept. in lect. I in Impress. Ss. Stigmatum Sti. Francisci - Alibi semper. — (6) *Missale Romanum* - Ratis bonae Frideric Pustet MCMXII - Feria VI in Parasceve in Pass. ad finem - Item in Missa Miserebitur Sm. Cordis Jesu ad Evang.

JESUS CUR PLORET IN PRAESEPE

Sternitur en Divus paleis inmitibus Infans,
Laeditur et stipulis, frigore membra rigent.
Qui Zephyris mulcet flores, cui lilia campis
Rident, en largis fletibus ora rigat;
Fletibus ora rigat tumidas qui comprimit undas
Litore, nec lacrimis abstinuisse potest.
Heu, formose Puer, cur tantus fletus in antro?
Assiduone madent cur ita rore genae?
Ille nihil; tenerum crudelia frigora corpus
Laedunt, nec nostro pectore corda calent.
Ergo, Dive meum Puer - et mala frigora pellam-
Ignibus ure tuis pectus, amore Tui.

I N J E S U M

Imitatio Anacreontis «Ad hirundinem».

Eἰς χελιδόνα

Quid vis, scelestā, fiat
Tibi, quid, heus, hirundo?
Vis forfice ut recidam
Pinnae tuas volucres,
Lustrare ne alta possis?
Mavisne ut ille Tereus
Linguam metam loquacem
Ut jam tacere discas?
Vix prodeunte sole,
Abdormiente Jesu
Somnum benigniorem
Sonore tam frequenti
Cur, impia, abstulisti?

IN PUERUM JESUM

commiserationis affectus

Dive, tuas lacrimas lacrimis sine cernere possum?

Sum nive, sum paleis saevior ipse tuis.

Josephus LLOBERA, S. J.

DE HENDIADI

Hodie in quaestionem utilissimam obtutum lectoris defigere faciam, quae difficultate in vertendis hispane classicis, tirones irretire solet eosque non nunquam juvabit ut Latinam orationem eleganter honestent.

Haud raro apud classicos, Ciceronem praesertim et poetas, duo vocabula ad parent grammaticaliter coordinata et particula aliqua copulativa consociata, inter quae subordinatio logica intercedit; licet ea non semper palam omnibus jaceat. Tunc datur HENDIADYS, quam dicunt, quae vox, ex graecis ἐν δια δύο λ γραμματεσσιν, perperam conflata, ut notat Forcellinius, ex se ipsa satis denuntiat in quo hujus figurae indoles sita sit ac natura: una nempe species alterius speciei vocabulo completa ac duobus expressa verbis grammaticaliter independentibus. Ex his fere vox prior significatione donatur generica, altera specifica.

Haec perlucidius perspicies in hoc Ciceronis exemplo: *Hunc sertis* (gener.) *redimiri jubebis et rosa* (specif.) *pro sertis vel rosarum, vel roseis.*

Atqui per hanc verborum disjunctionem id sit ut utraque species vi augeatur ac praestantia, illa praesertim quae sensu non translaticio locum sortiretur subordinatum: utraque tunc idea exstat aeque narrationi necessaria.

Hujusmodi figura universim obtinet ubilibi duo reperiuntur verba invicem subordinata ideoque extrui potest, quod adprime notandum est, non cum substantivis modo, imo etiam cum verbis et adverbii, licet substantiva huic perficienda figurae prae ceteris serviant.

De hendiadi cum substantivis instituta haec pauca disserenda censeo. Substantiva quae eam compleat synonyma sunt vel minus: si prius altera idea priorem confirmat; si posterius, sc. in hendiadi ex verbis non synonymis conflata, idea specifica genericam completumque duo occurrere valent; vel illae inter

se determinant, vel una se obfert ut alterius sequelam.

Satis pro comperto est laudatam figuram in idiomate vernaculo exsulare ideoque cavendum ut, cum hispane eam verteris, subordinationem grammatical expresseris, vel etiam ne alterutram hendiadis vocem veluti redundantem seu pleonasticam missam feceris.

Ad conjungenda hendiadis vocabula fere omnes conjunctivae particulae promiscue veniunt.

Ad ejus usum quod attinet vide ne modum transgrediaris aut regulas pulcritudinis sensus, quem adsidua, Ciceronis praesertim, lectione comparabis. Hic unum tibi casum notatum volo, quo opportunissime hendiadem usurpaveris.

Latini nempe, nisi poetae vel ipsi quoque prosatores ob poeticam licentiam, non amant adjectiva rerum animatarum propria inanimis substantivis subdere: itaque minus recte dixeris: *verba sapientissima* quia *sapiens* non nisi translate de rebus intellectu non pollentibus adPLICatur; quod vitare commodum tibi erit duobus plerumque modis: vel tale adjективum pro respectivo substantivo suffiendo, vocabulo «plenus» determinato, quod quidem prorsus Latinum est et usitatissimum, (*verba sapientiae plena*), vel per duo substantiva subordinata, et incides in laudatam figuram hendiadem, (*verbis, scilicet, ac sapientia.*)

Rectum hujus usurpandae figurae iudicium in eo stat, quod dixi, ut nempe eam exemplis confirmatam videoas, attenta praessertim lectione Ciceronem evolvendo; qua propter hic exempla, vernacula stipata translatione ex abundanti offero.

Hendiadys cum adverbii composita.

Aperte atque ingenue (con franca ingenuidad); strenue ac viriliter (con varonil esfuerzo); temere atque insipienter (con

necia temeridad); modice ac sapienter (con la moderación propia del sabio).

Cum verbis:

Te amavi atque dilexi (te he amado con predilección); dixit ac disseruit (habló elocuentemente); gavisus est et exultavit (saltó de gozo); et ibi lamentatus et illacrimatus est (estuvo allí llorando de pena).

Cum substantivis: a) synonimis: Convenientia consensusque (consentimiento unánime); indignatio et ira (despechado furor); ardor et impetus (impetuoso ardor); metus ac timor (timidez excesiva).

Cum substantivis: b) non synonimis:

1) Inter se determinantibus: temeritas et mendacium (temerario engaño); studiis excelluit et artibus (en el

estudio de las artes); cupiditas atque dementia (ciega pasión); minis ac verbis (con frases amenazadoras).

2) Uno ex altero líquente: Clamore et admiratione erupit (prorrumpió en gritos de admiración); pavor et trepidatio (pavoroso atolondramiento); juventus et error (ilusión juvenil); morbus et insania (enfermedad de locura).

Antequam finem impone, facere non possum quin moneam verbum «ratio» in crebras exprimendas propositiones per hendiadēm venire, alias vertendi difficiles. En tibi exempla: ratio et cogitatio (pensamiento razonado); ratio et consilium (consejo deliberado); ratio et disciplina (enseñanza científica); ratio et doctrina (enseñanza sistemática); ratio et via (método o procedimiento sistemático).

L. FANLO, C. M. F.

Commercium Epistulare

A. Reixach, Pter. Adm. Rdo, Raimundo
Borrás, Pbro. Parrocho, s. p. d.

Quam elegiam in memoriam dulcissimi nostri J. Fontii Cervariensi in Palaestra nuper scripsisti; laetus et mirans perlegi.

Quae ibi dolens ajebas, adsentior cunctis. Evidem

..... «sola manent Latii perodora virecta

Planicie in lepida nobilis Ausoniae.»

Decessit enim nostras bonus Horatius, qui

«Dulciter excuto: modulantis aēdonis instar

Carmine praecinuit Numina, Sacra, Viros.»

Sed, Deo gratias, qui Latinis Musis alterum suscitavit poētam. Dum enim modulis jam annum extincti collegae memoriam agis, nova luscinia (1) quae, in silvis canens dulcisonis cantibus veluti per radiophonicam Palaestram Latinam recreatur orbis. Parce, queso, si legenti illud mihi venit in mentem: «Sinamus sanctum pro sancto laborare», scilicet, vatem pro vate.

Tua igitur ne sileat lyra, sed pulsetur frequenter; praecine et tu gementem Patriam, Familiam, Scholam, Latinas litteras... Ita vives, gaudebis, ephebis nostris bono eris exemplo, ut ne senes quidem classicos neglegant, sed, studiosi et ipsi, scientia ac pietate, ut hodiernos praesertim decet clericos, fulgeant in Ecclesia Christi.

Spero, mi bone, -ore ut me audias atque conlegas, qui uno ore plaudentes te ex animo salutant.

Vale meque tibi addictissimum in Christo habebis.

Vici, Id. Nov. MCMXXXI.

(1) Lusciniam voco in sermone soluto quam tu in vincito jure tuo aēdona vocaveras, quae vox tantum apud oetas et communiter femenino genere solet usurpari.



Discobolus Myronis

Duo praestantissimi magistri Myro et Polycletes sunt, archaicam et auream aetatem graecae sculpturae connectentes, quam tamen Phidias eorum aequalis complevit. Mirandi illi quidem, attamen non raro sapiunt vetustatem.

Eleutherae prope Atticam ortus Myro quinto a. C. fuit saeculo aeris artifex, quod ei magnum contulit praesidium ut artis et motus princeps fieret: non alium certe habebat scopum quam specierum in materia plasmationem, ea vero ratione ut omnibus contemplantibus ejusdem simulacra et currere et salire viderentur. A primo confidere effigies deorum intendit, sed id consilium nec sibi opportunum neque fuit consentaneum; idcirco athletarum compositioni se totum devovit: inde gloria quam Myro est adeptus. Ea tempestate sapientes dicebant primas adsecutum esse partes in motu et gestu interpretandis, minime autem in tradendis animi affectionibus, in quibus nullius fere pretii et satis negligens fuit. Corporum tenus curiosus, animisensus non expressit. Re quidem vera Myronis statuae praestant corpore quam capite.

Percebris et passim ab antiquis translatus est fectoribus «Discobolus», athleta videlicet, qui discum projicit. Prorsum inclinat corpus, ita ut vacillatione manus dextra repellat discum, dum laeva perstringit genu ad hoc ut consistere queat; obtutum habet disco adfixum. Hanc si tueantur oculi miram effigiem profecto recordaberis beligerum Polypoetem orbem rudem a fornace distendentem, post quam magnitudini et robori Eetionis illum rapuit Pelides Achilles. Epeum, Leonteum, Telamonium, Atacem superavit belicosus Polypoetes

qui discum prehendit. «Quantum quis projicit pedum bubulus vir, id autem rotatum volat per boves armentales, tantum super totum circi spatium jecit». (Iliada, Rhapsodia XXIII, 845). Agilem aes reddit figuram, aliquid tamen venustatis desideratur marmoris caussa; opus est enim adminiculis certo non parvis quae illam sustentent utpote quae stat uno pede. Forma cranel rotunda fere et cirrhi non multum prominentes archaicam aetatem redolent.

Laudes hominum quoque obtinuit imaginum globus qui frementem vaccam una cum vitulo lactente repreäsentat. Istius exemplar apud Pacis templum, quod est Romae, olim sevabatur; nullum autem hodieum ullibi exstat agraphum. En Julianorum epigramma unum ex plurimis

tantum quod artefactum referunt. «Et te, pseudomelissa, ars fecellit, duro etenim vaccae lateri aeneoque aculeum adaptasti tuum; verumtamen qui te reprehendat est nemo. Decipienda facilime pseudomelissa erat, siquidem non potuerunt non inludi et pastores».


Opus aliud minime neglegendum «Mnervam, scilicet, Satyrumque Marsiam» nobis reliquit Myro artifex. Hoc in simulacro stuporem Satyri puerilem fere ob fistulam a filia Jovis inventam fector adumbrat. Optima sibi adversantur cum deae moderatio animi et aequanimitas, tum agilitas quam in Satyro Marsia mirante adpareat.

Myronis est meritum et novas fictionis species et formas durae materiei potiores inpingere. Hinc prisca jam artis tempestas evanuit quo melior surgeret ars atque nobis ior.

PHIDIACUS.



RADIOPHONUM



Numquis est omnium hac nostra quidem «Lucis» aetate, quin radiophonico adstiterit acroamati, vel saltem auribus de mira radiophoni inventione quidquam acceperit? Quam ob rem fore non injucundum Latinae linguae studiosis existimavimus si non nulla de radiophonia delibaverimus. Hinc radiophonum hoc loco depingendum cum additamentis quidem praecipuis curavimus. Jam vero, ut rem altius repetamus, quidquam praemittemus de radiophoniae historia.

Mirum omnino atque utilissimum radiophoni nostri inventum quaedam est quasi extensio telegraphiae sine filis. Quod si illa inventio nata est ad scientiarum provinciam ultimis fere superioris saeculi deceniis, tamen hujus praincipia aestimatur, neque immerito: eo enim saeculo progrediente, ad usum tandem vulgi adductum est ac perfectionem. Jam inde ab anno 1865 egregius Maxwell unius subputationis mathematicae auxilio detexit principia telegraphiae sine filis. Hujusmodi autem praeclarri inventi fuit tamquam initiator Germanus Hertzius; qui quidem, assiduos post labores, anno 1887 inventit eas, quas hodieque dicimus «undas hertzianas». Inter annos vero 1894-1896, telegraphiam sine filis, inclitus Marconi in publicum adfert magno quidem omnium plausu; anno scilicet 1896 eximus Mediolanensis ad quattuor distantiae vel quinque milliaria telegraphiabat, quae distantia, insequenti anno, erat jam duplo major. Iisdem tere diebus, similes in Germania Slabi, quamquam tramite diverso,

reportabat triumphos. Vicesimo porro saeculo ineunte, ipse Marconi telegraphicum trans Atlanticum mare commercium instruxit.

Primordiis etiam saeculi, physicus Fleming novam telegraphiae viam, cum invento lampadis electronicae, constravit. Id scilicet genus lampadis expedit continuarum undarum problema, quae illius auxilio, perceptibiles auditui fiunt. Hanc vero lampadem Lee de Forest anno 1912 paullulum instauravit, ex quo lumen radiophonia clarissimum aspergit. Totis physici viribus hoc inventum commodius usque efficiendum insudarunt, inque dies adparatus radiophonici perfectiores redditi, variisque vitae rationibus aptati sunt, ut eorum adquisitio non sit illis difficultis, qui facultates modicas possident.

Tabella ob oculos posita ostendit receptorium radiophonicum magis in usu, cui alii, complementi ergo, adparatus accedunt. En illa vernacule et latine instrumenta, quae in primis consideranda tibi obferuntur:

1	Altavoz	<i>megalophonum</i>	9	Casco	<i>cassis, dis</i>
2	Cuadro	<i>quadrum</i>	10	Auricular	<i>auriculare</i>
3	Antena	<i>antemna</i>	11	Acumulador	<i>cumulatorium</i>
4	Reóstoro	<i>rheophorum</i>	12	Radio	<i>radiophonum</i>
5	Rectificador	<i>rectificatorium</i>	13	Hilo	<i>filum</i>
6	Lámpara	<i>lampas</i>	14	Toma de tierra	<i>terrae captus</i>
7	Borne	<i>contactus, us</i>	15	Botón	<i>globulus</i>
8	Pila	<i>vas (electricum)</i>	16	Tambor	<i>tympanum</i>

Haec est summatim radiophoniae ratio. Statio emissoria ope antemnae generat in aëre oscillationes electricas, quae in modum circulorum concentricorum propagantur quaquaversum velocitate 3000.000 kilometrū singulis secundis. Antemna vero stationis receptoriae (3), vel quadrum radiogoniometricum (2) emissoriae has oscillationes excipit atque illas ex aethereis in electricas oscillationes convertit. Hinc cursus alternus ab antemna (3) ad terram (14), atque ab ista ad illam decurrentis, radiophonum (12) excitat.

Receptoriae tum stationis antemna exsequitur adamussim oscillationes emissoriae, et tamen illius megalophonum (1) idem omnino exprimit, quod elocutum ante hujus microphonum est; aliis verbis, sonus, quicumque est, ad aures pervenit. Ad antemnam vero receptoriae, quod facile adparet, veniunt innumerae fere periodorum diversarum undae, quae sese mutuo in aëre intercludunt. Ideo est necesse omnes, praeter quas audire contendis, eliminare. Ad hunc porro eliminationis effectum, congruenter bratteae condensatorii ap-

tantur, cuius tympano (16) axis unitur. Hanc nos operationem ad consequendam undae amplitudinem congruam «sintonización» appellamus.

Oscillationes tandem antemnae sic conformatae, ad clatrulos primae lampadis (ea in medio adparatu latet) perveniunt, eodemque modo ceterarum, si adsunt, lampadum, ubi et amplificantur, et tum deteguntur, seu audibiles fiunt, cum electricus cursus megalophonum (1) adparatus vel auriculare (10) excitaverit. Hisque de radio-phono in genere sufficiat.

Quod ad laevam picturae vides cumulatorium (11), id quidem inservit ad accendenda lampadum filaments. Rheostatum (in num. 15 habes rheostati globulum) in serie cum circuitu hujusmodi cumulatorii detegit emissionem electronum filamenti, seu quod in idem vertit, ejus ustionem moderatur. Lampas (6) tandem rectificatorii (5) alternum cursum, ab urbano quidem reti (13) sumptum adaequat atque in contactibus (7) producit 80 ad 100 voltiorum summam, quae usus est ad auditionem.

Nomenclaturam iis electricam, quamvis incompletissimam, adjungimus appendicis ergo:

Amperio	<i>ampérium</i>	Imán	<i>magnes, etis</i>
Anodo	<i>anodus</i> (f.)	Inducción	<i>inductio</i>
Audión	<i>audio, onis</i>	Ión	<i>ion, onis</i>
Autoinducción	<i>autoinductio</i>	Llave	<i>clavis</i>
Batería	<i>series</i>	Motor	<i>motorium</i>
Bobina	<i>bobina</i>	Pantalla	<i>umbella</i>
Bombilla	<i>ampulla</i>	Polo	<i>polus</i>
Carrete	<i>carrulus</i>	Poste	<i>sublicium</i>
Cátodo	<i>catodus</i> (f.)	Potenciómetro	<i>potentiometrum</i>
Círcuito	<i>circuitus</i>	Reóstato	<i>rheostatum</i>
Condensador	<i>condensatorium</i>	Resistencia	<i>renixus</i>
Contador	<i>index</i>	Transformador	<i>transformatorium</i>
Corriente	<i>fluentum</i>	Turbina	<i>turbo</i>
Chispa	<i>scintilla</i>	Variómetro	<i>variometrum</i>
Detector	<i>detectorium</i>	Voltímetro	<i>voltimetrum</i>
Electricidad	<i>vis electrica</i>	Voltio	<i>voltium</i>
Electrón	<i>electro, onis</i>	Watio	<i>watium</i>

Ante radiophonum (VICTOR ET FELIX)

- V.—Ingredere amabo, commiles: illico radiophoni erit acroama.
- F.—Id erat commodum in animo meo; nuntiorum, quod te minime latet audiendorum fui semper cupidissimus.
- V.—Ascendamus jam contignationem, ubi frequens, quod fit plerumque, adest cortina (corro).
- F.—Ast bellum hercle radiophoni adparatum..! Ubinam terrarum ille alias est, mihi totiens laudatus?
- V.—Vendidi ut hunc compararem; qui quamquam in scrutario emptus milie tamen pessetas subripuit.
- F.—Atqui eo nuntiis erit aptior reddendis. Tua venia adsideo.
- V.—Instat jam quinta, acroamatis scilicet hora; stationes modo emissorias tentabo.
- F.—Hui, o insuavem strepitum! Rabula mihi in microphono loqui videtur!
- V.—Specta, bone, parumper; adparatum eo nondum est rite dispositus, quod aptam amplitudinem undae non attigi...
- F.—Nunc probe equidem audio. Pro suave concentum vel, si mavis, symphoniam!
- V.—Atqui ea est statio Berolinensis, quae transmittit. Audiamus jam stationem Matritensem.
- F.—Omnino rei politicae nuntia quam maxime exspecto. Arrectis, aedepol, auribus intendo.
- Radiophonum.*—Puncto horae sextae tauromachia in Arenis; nobiliores ibi aderunt taurocentae... In Athenaeo Solis choreae populares a nona...—Oryza ciceraque vilissima: apud Robustianum, in via Trapisondae, numero 25... Stoeae atque spartaeae commodissimae...
- F.—Hem, bellum tibi negotium! Haud certe talia nuntia spectabam, neque rem mihi cum mercatoribus valueram!
- V.—Ne ita stomacheris, amice; in omni, mihi crede, re semper grata varietas!
- F.—Verum istis audiendis nec vacat, neque id juvat omnino. Satis superque est illis scatere et periodicorum plágulas et commentariorū.
- V.—Quam gravis es..! Cito citius, ni fallor, incipiet in congressu oratio.
- F.—Gratia igitur tua spectabam... absque te esset focos repetebam...
- V.—Cape nunc auriculare, mi Felix; conatio incepta est. Loquitur, quod op̄nor, Cremonius.
- F.—Frustra es, amicorum optime; ille est noster Fullonius. Ut pectus est, quod facit disertos!
- V.—Sunt verba et voces, praetereaque nihil.
- F.—Apage jam poëtarum verba, et orationi intendamus.
- V.—Quid tibi de opera adparatus? Estne veteri ille commodior?
- F.—Est. Vel adspectatium plausus nitidissimi audiuntur..! Radiophonum quidem mirum!
- V.—Ego vel susurrum audio per aërem volitantium muscarum...
- F.—Fortasse tu et hominum cogitationes ex anhelitu percipes, scurra.
- V.—Parum equidem abest.
- F.—Intende modo adparatum, Victor; pejus audiri coepita est oratio.
- V.—Scilicet, prae clamore raucescit orator; meae jam aures sermone isto obtunduntur...
- F.—Ne ita farel Nervosa quidem oratio est! Omnium, conjicio, adstantium plausus sidi adripet..!
- V.—In finem denique vergit oratio, quod equidem laetor. Modo enim transmittentur nuntia diei.
- F.—Ne autem illa sint mercabilia! Talia ego nuntia exscriberem in cornu lunae.
- V.—Neque parum prodesset mercatoribus!

I. GONZÁLEZ, C. M. F

Adolfus Gandiglius

Paucis abhinc mensibus Fanni in Italia vir classicae Latinitatis cultor Adolfus Gandiglius, e vivis sublatu*s* est. Susae septimo idus Augusti anno octingentesimo septuagesimo sexto supra milesimum venerat in diem.

Litteris philosophicis Ravennae cum incumbebat primas ingenii lucubrations luci commisit praestantissimas et eadem mensura atque in originali octo celebrimi Carducci, Boloniensis magistri, odas summa transtulit perfectione. Isdem diebus magno Instructionis Publicae aureo numismate quaedam Gandiglii scriptio Latina in certamine ad quod onines Philosophiae Italici Prolytae convenerant, remunerata fuit. Boloniae quo se studia perfecturus contulerat, maximum acumen comitibus ac condiscipulis singularemque solertiam latine reddendarum difficillimarum Leopardi orationum, a magistro Gandino injunctarum, non semel ostendit. Ceteris condiscipulis de pravis versionibus objurgationes accidentibus, Gandiglius plausus a magistro eoque subtilissimo merebatur.

Doctoratus laurea anno 1899 obtenta disciplinas, omnibus plaudentibus Clagiari suscepit tradendas; deinde Achilae paucisque volventibus annis in «Leccam» oppidum scientiarum lectione persecutus profectus est atque anno 1903 currente Fanum venit ubi per 28 annos uberrime juvenum enutrivit mentes. Ab Universitatum cathedris, majore quidem ornatis splendore, totis viribus fugit. Ad annum 1928 laetissimo animo humaniores tradidit literas. Docendi munus, quo diu functus est, accuratissime adimplevit. Maximi auditorum profectum faciens scientiamque aestimans, ne uno quidem die, quacumque de caussa, ab aula dis-

cessit. Condiscipuli atque magistri summa eum prosequabantur veneratione, humanissimum namque et facetum semper omnibus se conspiciendum obtulit. Ex ejus ore consilia fluebant suavissima, quodam tamen mixta timore ne interroganti superior aliquando videtur. Nunc ad praecipua ipsius opera veniamus. Magna scriptorum copia constituit plurimis articulis de prosodia Latina atque metrica hinc inde in commentariis difusis, deque grammatica agentibus. Litteraria ejus ubertas studiis quoque maximi momenti e. gr. super «Elvio Cinna» «Cicerone» «Catulo» et decima Vergili Ecloga aliisque non paucis constat, innumeris praesertim niti dissimilis versionibus quas nobis reliquit degustandas. Amplissimam, vero, Latinitatis cognitionem in ejus «Grammatica» et «Sintassi Latina» praebuit atque copiosam.

Arguens nobilis, omnibusque qui eodem in eum modo sese gerebant, observantissimo semper animo extitit; in eos, autem, qui motibus aut sensibus non ingenuis ducebantur, severissimus.

Injustitiae animique pravitatis acerimus vindicta atque iudex austerus. Humilem civitatem, ut ostendimus Fanum, obscurissimamque cathedram ubi vires excoleret litterarias sibi perpetuo elegit atque retinuit. Quam luculentissime nobis testatus est non cathedra professorem, immo professore cathedram ornari debere! Adolfus noster humill functus munere comparavit nomen quod lauris circumdatum per saecula curret venerandum.

In viris ergo praeclarissimis clasicae Latinitatis cultoribus merito censebitur maximo cum honore...

M. LÓPEZ, C. M. F.

P e r o r b e m

L'Institut d'estudis catalans. —

Certamen litterarium a meritissimo Catalaunico Instituto pridie Kal. Junias indictum hac ratione constituitur:

A) Libris seu scriptis Catalaunica lingua exaratis, quae sequuntur adsignantur praemia:

- 1.—Praemium «E. Vives» 5000 pessetarum auctor percipiet, qui pulcrius disseruerit de Catalaunica lingua, historia, arte, archaeologia, humanioribus litteris.
- 2.—Praemium «Duran i Bas» 5000 pessetarum conferetur illi qui optimum quodque de re juridica vel sociologica conscripserit opus.

Haec duo praemia X Kal. Majas a. MCMXXXVI adjudicabuntur.

3.—Praemium 1000 pessetarum a *Sectione historica-archaeologica Instituti liberaliter donatum tribuetur meliori operi de «Estudi dels monuments romans d'una comarca catalana».*

4.—Praemium 1.000 pessetarum a *Sectione philologica Instituti oblatum habebit scriptor qui aliis praestiterit in confectione «Vocabulari tècnic d'una indústria, art, ofici, etc.»*

5.—Praemium 1.000 pessetarum a *Sectione scientiarum Instituti elargitum pro labore praecipuo de «L'abast de la crisi de l'intelectualisme en Filosofia».*

6-7.—*Sectio historica-archeologica Instituti* haec alia duo praemia adportavit: a) praemium 1.000 pessetarum musaei intra fines Catalauniae praefecto vel operario donandum, qui loculentiores de eodem notitiam tradiderit; b) praemium

500 pessetarum pro chartulario, qui in commodiorem redegerit ordinem tabularium alicujus momenti ad historicas inquisitiones apud Catalaunos. Qui haec quinque praemia adeptent opera ante III Kal. Februarias ad Institutum mittere debent. Victor tamen X Kal. Majas anni MCMXXXII decantabitur.

B)—Pro libris vero aliis linguis conscriptis sive Hispanica, sive Gallica, sive

Germanica, sive Latina, haec tria praemia condita sunt:

8.—Praemium «Isidre Bombons» 10.000 pessetarum et

9.—Praemium «Isidre Bomboms» 10.000 pessetarum eis tribuenda, qui de nostro *Cervantes*, de ejus videlicet opere, de causis vel consecariis praeclarius scripserint.

10.—Praemium «Henric de Larratea» 5.000 pessetarum, quod pro opere quolibet scientifico statum est, praesertim vero pro scientifica notitia de *Intercambi de mases d'aire o d'energia entre les regions ártiques i les temperades de la terra*.

Praemium postremum Id. Aprilibus anni MCMXXIV sortietur; alia duo (8, 9) X Kal Majas a. MCMXXVI.

Opera omnia ne prius edita sint aut saltem non ante Kal. Junias a MCMXXXI.

Praeterea intra Catalaunicae terrae fines, populi comprehenduntur qui sermone Catalaunico vulgo utuntur.

Ad ripas Nemorenses. — Quae in lacu Nemorensi, alio nomine speculo Diana, sub monte prope Aritiam, nunc «Cave» dicto, naves a temporibus Caligulae submersae credebantur, nunc recens, auctore praestantissimo Duce, duae sunt detectae, quarum una in siccum conlocata prope lacum conspicies. Juvat igitur in his pagellis nuntium repetere quod A. Giannini, C. M. P. juvenis quidem sed strenuus scriptor ad actuariam misit.

«Illic fuimus, ait, ad speculi Dianaë ripas, et, quae sunt admirationi universa vidimus. Fidei absonum videtur et constructio navis ex pino, querco, abiète, et magnitudo ejusque conservatio per plurima longa saecula. Incredibile dictu nostris vidiisse oculis ossa navis in longitudinem circiter 70 m., in latitudinem 20 m. Tumens fit alveus externa in parte, pineis 15 cm. crassitudine asseribus,

junctis cuneis insertus, tela lanae et resinosa coopertus plumbeis laminis clavibus fixis. Dexterum latus, quia in luto demersum, elegantem ostendit curvam, dum sinistrum laesum ob undarum motus evasit.»

P. Raphaëlis Landivar, S. J.—Egregius s. XVIII poëta R. Landivar, qui Vergili interpres et sectator, caelesti adflatu rura bovesque cecinit, nuper in civitate Guatimala, anno jam ab ortu biscentesimo transacto, sollemniter celebratus est. Qua quidem re ejus in honorem statua in media platea erecta fuit, quae cibibus in posterum poëtae Vergiliani memoriam evocaret.

L'Oficina Romànica. — Tertium jam annum commentarium preclarum apud Catalaunos Romanica Academia typis dedit. Commentarium scientificos continet labores de re linguistica et litteraria, quibus pars bibliographica est addita. Operis synopsis quam in notula conspiciendum subposui, quantum haec

amplissima Academia fructus capesserit demostrabit. (1)

Atque occasionem nactus, paucis de ejusdem constitutione lectorem tenebo. Anno MCMXXVII, aestivo vero ardore, Barcinone, in Bibliotheca «Balmes» pandebatur Officina, quae id in lingua Catalaunica philologicis inquisitionibus persequeretur, quod academie de Scriptura Sacra et de historia Ecclesiae in sua quaque provincia perficiebant. Fautores et operarii viri clari et conspicui A Grierà, P. Barnils, M. de Montoliu¹ A. Par, R. Miquel i Planas, J. Calveras S. J., quibus anno posteriore P. Olaza S. J., accessit.

Nonnullos enim edidit libros, annumque scientificum commentarium «*Anuari de l'Oficina Romànica de lingüística i literatura.*» Praeterea, interrogationibus de re sui juris quas undique libenter recipit, re antea perpensa atque a sociis officinae probata, in ephemeride «*Catalunya Social*» respondere curat. Jam cetera sileamus.

J. D.

Palaestricus Ephebis Suis

Jam ad PALAESTRAM undique concurrere incipiunt adulescentes. In Octobri mense pauci, at postea frequentiores; qui tamen in dies augebuntur quo plenius in curriculum nos ingurgitemus. Quis puerorum tam erit ignavus ut a certaminibus effugiat in quibus non agitur quidem de capite sed tantum de honore facile adsequendo, nunquam autem amittendo? Accedite ergo, adulescentuli, ex Seminariis praesertim ut vestris nominibus honorem professorum vestrorum augeatis.

EXERCITATIONES SCHOLARES

Autocinetum et currus nobilis. — Nullus adhuc hanc fabellam vertit ex Latino.

La muerte de Cicerón. — In linguam Latinam bene reddiderunt R. González, A. Vázquez, F. Prieto, P. Pagés, H. Serrano, N. Sánchez, R. Balsells, et alii; prae omnibus tamen E. Martín in Seminario Abulensi alumnus.

(1) *Anuari de l'Oficina Romànica, 1930:* Suplement català al Diccionari romànic etimològic (Fr. de B. Moll). — La flexió verbal en els dialectes catalans (Fr. B. de Moll) — La desinència - o del indicatiu present (Alfons Par). — La forma «que» del relatiu català (Josep Calveras, S. J.). — Pharmacologic catalane (H. Menhardt). — La expresión de «lo santo» en el lenguaje poético de los románticos portugueses y catalanes (H. Hatzfeld). — *Bibliogr.*

Aenigma primum. — Optime divinavit A. Baquero; alterum vero H. Roca et Abad.

P. Syri primam sententiam satis recte explanavit C. Larena.

De mortis Ciceronis (1) Vide n.º 10 Palaestrae Latinae

Sub triumvirū (2) adventum Cicero (3) urbe (4) cessit. Primo Tusculum; deinde Formias transversis profectus est itineribus ut Cajetae navem concenteret. Postquam in altum provehi aliquotiens tentaverat (5), surgentibus ventis adversis (6), neque (7) navis jactationem pati posset, taedium eum et fugae et vitae cepit. Versus (8) igitur in villam quae mille passus (9) a mari aberat (10) exclamavit: In patria saepe a me servata spiritum extrellum ducam. Nota res est fortiter fideliterque famulos ejus pugnare decrevisse (R. González) atque Ciceronem ut lecticam deponerent eos rogasse ac quietos pati quod adversa fortuna ferret. Postea caput Cicero attollens carnificibus collum praebuit (Ae. Vázquez) a quibus inique praecisum est (11). Non contenti hac barda crudelitate milites, eum in Antonium scripsisse exprobantes, etiam manus praecidere (12). Tandem caput inimici ad Antonium reverterunt, qui in rostris (13) inter utrasque manus ponere praecepit (F. Prieto).

E. MARTIN

In Sem. Abulensi alumnus.

NOTULAE

Compositio haec quae palmarum inter plus viginti obtinuit ad alumnum Seminarii Abulensis fere pertinet, cuius nomen infra compositionem statuitur.

Erant tamen clausulae minus perfectae quas suffecimus aliorum alumnorum clausulis italicis litteris notatis adposito que auctorum nomine.

(1) Omnes fere dixistis: *De Ciceronis morte*. Gaudentes tirones inversionibus iisque saepe in aurem non cadentibus. (2) *Vir*, et crebrius *ex viro* composita genitivum plurale contrahunt in *virām*. Hac de re Cic. Orat. 46, 156. (3) Non sollet usurpari cum praepositione verbum cedo. (4) *Urbs* jam significat *cuidad de Roma*. (5) *Tentaverat* in indicativo ut factum reale; in praeterito plus quam perfecto ut temporis prioritatem notemus respectu ad verbum orationis primariae cepit. (6) Ablativo absoluto hic uti debemus ne in eadem clausula subjectum saepe variare cogamur. (7) Ne dicitis et non, atque non. (8) Non vertens se, nam locutus est postquam se vertis-

set. (9) Non *mille passuum*. Negat Granor. I. I de pec. vet. c. 10 mille unquam substantivum esse aut genitivum per se regere; semper itaque esse adjективum et plurale et indeclinabile. Vide Forcelliniū in hoc verbo. (10) Nunquam verbo *absum* (distar) praepositionem auferatis. (11) Haec oratio ne subjectis atque pronominibus implicetur pasive hoc modo posita est. (12) Hanc secundam praeteriti formam hic tolerandam judicamus, eo solum quod subinde *transtulerunt* subsequatur. (13) In plurali numero ponitur quia ibi columna rostrata erat seu rostris decorata.

— Ab alio exspectes alteri quod feceris. Eadem quippe mensura, ait Scriptura Sacra, qua mensus fueris, remetieris. Comis si fueris cum proximo tuo cumque illo misericordia usus eris, tecum et leniter et clementer agetur; sin autem ei difficiliter te praebueris, ac dirum atque inhumanum, reus laesae humanitatis fies, dignus omnium contemptu et abjectione quicunque a Deo exprobreris.

Alterum si quis dilexerit, amore ejusdem ac charitatem est vere dignus; cui anorem idcirco licet reciprocum exspectare quoniam amor amore refertur; sin autem aequales contempseris, quid mirandum si vixeris, illudceris, a ceteris iridearis? Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis, quid enim alios injuriis appetere audes. Damnum nunquam ullum adferas si beari vis in terra et abunde remunerari in caelo.

Caesareus LARENA C. M. P.

Aenigmata

1.—Totum sume, canit; truncato vertice, pollet; Caudam deme, orbat viscera tolle. parat.

Resp. Avis—Vis—A—As.

2.—Addito, res minor est, demito, major erit.

Resp. Frater, fratellus; ullus, nullus; virginti, undevirginti; vas, vasulum; dies, meridies, etc.

EXERCITATIONES SCHOLARES

Duo Autocineta

In urbe principe clari ditisque populi,
Quem sol terrarum vita, respicit potens, (1)
Duo autocineta praestolabantur (2) simul
Apud aedes amplas jam jam egressuros eros. (3)
Grandius ex ipsis, copioso ac splendido
Belle nitens ornatu, non tenuem sui
Fortunam ostendit domini: namque hic plurimos
Obiens (4) per annos publica munia civium,
Crumenam (5) minime sprevit, at pro viribus
Satis centenis farsit (6) nummum millibus,
Mussante (7) populo. Tum inferiori (8) machinae,
Ecquid, ait, cultum nostro non similem exhibes?
Reponit altera modeste sed libere:
Meus num dominus attigit rempublicam? (9)

*Et aetas nostra Curios videt atque Decios,
Camillos et Aristides, fraudis sordidi
Puros peculii, (10) insignes abstinentia: (11)
Tamen nonnullos forsan moneat fabula.*

L. ROCCI, S. J.

La invasión de los bárbaros

Las hordas (12) germánicas vencedoras del Romano Imperio se dejaron conquistar (13) muy presto por los vencidos. Roma, señora del mundo, pudo ser sumergida (14) en la barbarie, pero la civilización cristiana, señora de Roma, flotaba en aquel diluvio. (15) Idioma, religión, artes y ciencias, todo lo mendigaron los hijos del Báltico de aquellos a quienes venían a exterminar. (16) El traje fué lo primero que los invasores

abandonaron. Mas como no hay costumbre que al ser trasplantada no degener, al cabo de algunos años, la legislación (17) ni era goda ni romana. Virgilio y Cicerón hubieran menester de intérprete para entender (18) el latín de aquellas gentes, y la vestimenta y arreos (19) militares, aunque traían a la memoria las del Imperio, olían (20), si es permitido hablar así, a las pieles a medio curtir (21) de las tribus del Caspio.

Aenigmata

1. Sedula me fabricatur apis; sed si mihi demis
Principium, gratus me colit usque nepos.
2. Sum bifrons: caput orbis eram deus omnia vici;
Si me transpones, erit in me saepe periculum.

P. Syri explenandae sententiae.

8. Aes debitorem leve, grave inimicum facit.
9. Alienā nobis, nostra plus aliis placent.
10. Alienum aes hominī ingenuo acerba est servitus.

(1) Derrama poderoso sus rayos.—(2) Esperar.—(3) Dueño, amo.—(4) obirem unus pub.= desempeñar un cargo público.—(5) bolsa de caudales.—(6) llenar (farcio).—(7) murmurar, murmejar.—(8) de peor condición.—(9) llegar al poder.—(10) enchufe.—(11) desinterés.—(12) tribus-us.—(13) devenire in potestatem..—(14) obruere.—(15) diluvio superferebatur.—(16) deleo —(17) lex-eglis.—(18) capere Latinum sermonem.—(19) ornatus-us —(20) redoleo.—(21) indur re

B i b l i o g r a p h i a

Florilegium Patriticum tam veteris quam medii aevi autores complectens. Ediderunt Bernhardus Geyer et Johannis Zellinger. Bonae Sumptibus Petri Hanstein.

Fasc. III. — *Monumenta minora saeculi secundi.* Edit. G. Rauschen. Edit. altera emmen. Digesta, adnotata, ea etiam quae ex graeca lingua in Latinam erant vertienda in hoc libello translate continentur monumenta minora secundi saeculi: Fragmentum videlicet Muratorianum, Logia Jesu, fragmentum Evangelii secundum Petrum et Protoevangeli Jacobi, acta Sancti Justini aliaque, quae ad sacras disciplinas excolendas admodum conferunt.

Fasc. IX. — *Textus antenicaeni ad primatum Romanum spectantes.* Ed. G. Rauschen. In hoc florilegii fasciculo congregata sunt ex tribus prioribus aevi nostri saeculis omnia capita tam Sacrae Scripturae quam scriptorum Ecclesiasticorum et profanorum quae ad primatum Sancii Petri et Ecclesiae Romanae referuntur. Textus ex optimis et recentissimis editionibus deprompti sunt, opus vero graecarum rerum versione Latina adornatum. Adnotationes paucae ad calcem adjunguntur.

Fasc. XX. — *S. Anselmi Cantuariensis archiepiscopi liber monologion.* Rec. F. Schmitt, O. S. B. Inter omnia Sancti Anselmi opera Monologion primas fortasse habet partes, in quo de Deo agitur orbis Creatore ac Domino, de Trinitatis natura atque proprietatibus, deque hominis erga Deum pietate, in quo et amorem et fidem et fiduciam ponere debet.

Fasc. XI. — *S. Thasci Caecilli Cyprianide Lapsis.* Rec. Jos. Martin.

Sanctus Cyprianus qui, teste Lactantio (Div., Inst. 5. 1, 25) «ingenio fuit facili, copioso, suavi ornatus in eloquendo, felix in explicando, potens in persuadendo». In hoc «de Lapsis» opusculo velut oleum in omnem dicendi suavitatem decurrere videtur.

Fasc. XXIII. — *S. Aurelii Augustini liber de videndo Deo, seu epistula 147.* Ed. Mich. Schmaus. Hic liber quem inter epistulas auctor recensuit, anno circiter 413 esse scriptum jure creditur. Paulinae precibus quaerentis an Deus Spiritus, corporeis oculis cerpi possit, respondet Augustinus, negisque Deum vultus neque mentis quidem oculis videri posse: tamen Deum promississe ait eos qui mundo sunt corde ad visionem Dei post mortem per venturos.

Fasc. XXIV. — *S. Aurelii Augustini de doctrina Christiana libros quatuor edidit H. I. Vogels.* Quod «de doctrina christiana» inscribitur opus in duo quaedam, ait auctor, fuit prima distributione partitum. Nam post prooemium, duo sunt quibus constat omnis scripturarum tractatus: modus inveniendi quae intellegenda sunt (*heuristica*) et modus proferendi quae intellecta sunt (*prophoristica*). Maurini Patres tanti hunc librum aestimaverunt, ut in editione profliferentur «opus pro rei dignitate studiose elaboratum nec profecto indignum cui locus in Bibliorum limine cum Hieronimianis praefationibus concedatur».

Fasc. XXV. — *Magistri Echardi quaestiones et sermo Parisienses.* Edidit et notis inlustravit Bernh. Geyer. Praecipuae, quae in hoc opere continentur, quaestiones hae sunt quae sequuntur: «De esse et intelligere in Deo et in angelis; utrum laus Dei in Patria sit nobilior ejus dilec-

tionē in via; de motu sine termino...» Sermonem etiam die Sti. Augustini a Mag. Eckardo Parisili habitum in libello invenies. Quae, cum momenti maximi in doctrina Eckardi reputentur, nec facile in superioribus editionibus reperiantur, in hoc florilegi volumine optimo consilio conlecta sunt.

Fasc. XXVI.—*De causalitate Sacramentorum juxta scholam franciscanam.* (Alexander Halensis, S. Bonaventura, Richardus de Mediavilla, Gulielmus de Ware, B. Johannes Duns Scotus). Edidit W. Lampen O. F. M.

Ad hoc ut vera hujus scholae sententia adpareat, theologorum principum frusta praecipua, integra quoque, quantum fines fasciculi patiebantur, omni sedulitate quæsita, in hoc volumine continentur.

Fasc. XXVII.—*Sti. Aurelii Augustini de beata vita.* Edidit M. Schmaus. Hunc de beata vita librum disputationes Id. Nov. a. 386 in agello Cassiciaco inchoatas atque per tres dies protractas Augustinus referre testatur. Agit in opusculo de his rebus quae sibi tunc maxime curae erant: vere absoluteque sola Dei cognitione homines beatos fieri.

Fasc. XXVIII.—*S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi epistula de Incarnatione verbi.* Accedit prior ejusdem opusculi recensio nunc primum edita. Recensuit Franc. Sales Schmitt O. S. B.

S. Anselmus in hoc opusculo illud Roscellini confutat «si in Deo tres personae sunt una tantum res et non sunt tres res una quaque per se separatis, sicut tres angeli aut tres animae, ita tamen ut voluntate et potentia sint idem; ergo Pater et Spiritus sanctus cum Filio est incarnatus».

Neque est quod Florilegii Patriarctici fasciculos commendemos: ex se ipsi commendantur.

J. D.

«Història de Montserrat». Monestir de Montserrat. Any Jubilar. 1931. pag. 410.

Pulcherimus quidem liber, qui maximopere decet jubilarem Montis serrati annum, atque ab his qui sapient de historicis-criticis cognitionibus ultra ac libenter degustabitur; eo maxime quod nec aures nec litterarum gustum vel in minimo liquida offendat oratio. En librum in partes quinque dispartitum: A) Monasterium (*El Monestir*); b) In Sanctuarium pietas (*Devocio al Santuari*); c) Sanctuarii custodes (*Custodis del Santuari*); d) Montis serrati expansio (*Expansió de Montserrat*); e) Mons serratus apud Catalaunos (*Montserrat a Catalunya*).

Totam rei criticam nondum completi, ut ex ipsis auctoris verbis patet; aliquot enim annos exposcit ille ut universos fontes ad negotium expectantes adaperiat; librum autem 'electionis cum critico sensu dices, quin difficultates complectatur. Vos omnes, lectores, adhorior ut historiam hanc persaepe legatis. Hac enim ratione et praestantem historiam et ingentem scientiarum cultum et praecaram tandem indolem perinustris Catalauniae Coenobii, quod pretiosa in corde montis «miraculi» gemma est insita, vos perbelli cognoscetis.

Th. M.^a PLANAS. C. M. F.

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.
Moderator

Typegraphia F. Camps Calmet.—Tarragae.